

perdere suam formam essentialem, nam elementa sunt incorruptibilia; ergo &c.

Respondeo, nego sequelam; ad hoc namque vt compositum, dissoluatur, & perdat suam essentiam, non est necesse, vt partes essentielles corrumpantur secundum se, sed satis est vt hoc fiat quoad nexum, alias homo, cuius partes per aduersarios etiam sunt materia, & anima rationalis, non perderet suam essentiam, vt pote animam rationalem, quæ est pars illum specie distinguens ab alijs rebus, & nihilominus per ipsos tam eorum prima materia, quam anima rationalis sunt entitates substantiales incorruptibiles.

37 Obijcies 6. datur purus actus nulla carens perfectione, ergo debet dari pura potentia nullam habens perfectionem; primus est Deus; secunda materia prima aristotelica; ergo male dicta materia negatur.

Respondeo, aduersarios vacillare; certum est dari actum purum, qui est Deus; sed non est in ordine naturæ, sed supra omnem naturam, cum naturæ sit auctor. deberet argumentum vim facere in naturæ ordine. concedo nihilominus antecedens; & distinguo consequens; debet dari pura potentia entitatiue, nego: respectiue, concedo; ad probationem, verum est, quod Deus est purus actus, & cum perfectione repletus, non tamen est verum, quod materia prima aristotelica sit illa, quæ omni perfectione caret; hæc enim nihil habet, quia cum non sit, non potest aliquid habere; Aristoteles autem dixit suam materiam esse prope nihil, non autem nihil; & sic nego consequentiam.

38 Obijcies 7. Diuus Augustinus lib. 2. confessionum cap. 7. in fine ait; duo fecisti Domine, vnum prope te, scilicet substantiam angelicam, & aliam prope nihil, scilicet materiam primam; ergo talis materia datur. Responso huius argumenti ex Diuo Augustino desumpti & potest sumi ex dictis in logicis, cum de substantia, & dici potest, quod Diuus Augustinus loquitur de secunda substantia, scilicet de illa, quæ accedit, quæ respectu primæ, quæ sui iuris est, quasi nihil dicitur, quia per se stare non potest, nec supernaturaliter, saltem semper dicit ordinem ad subiectum, & numquam sui iuris est, sicut euenit in Eucharistiæ Sacramento, vbi accidentia etsi sint sine subiecto, retinent tamen intrinsicum ordinem ad illud, cum sit de eorum essentia hoc, accidentis namque esse est inesse.

39 Obijcies 8. in quacumque compositione essentiali debet dari